



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 59. Heidelberga a Tillio frustra ad deditionem sollicitata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII.
A. C. 1621.

§. LIX.

Heidelberg a Tilio frustra ad deditionem sollicitata.

*Bellus l. 5.
Meteran.
l. 41.
Merc. Gal-
lob. t. 9. l. 2.*

Cum ditiones Catholicis partibus & Cæsari addictæ Mansfeldii crudelitati impune essent objectæ, & Gonzalvus Corduba prædatoribus reprimendis impar esset, Maximilianus Bavarix Dux Tiliium Comitem iussit, ut copias ex hibernis eductas rursus contraheret, promotisque versus Neccarum castris sese Cordubæ copiis, Mansfeldianos insecuturus jungeret. Igitur Tilius in inferiorem Palatinatum irrumpens, die vigesima octava Octobris Heidelbergam hujus Provinciae Metropolitin cinxit, datisque ad Palatini Senatores literis urbem Cæsaris imperio subjici petiit, vicissim omnem securitatem pollicitus. Verum Heidelbergenses Mansfeldii sat propinqui fiducia animati instigante Henrico Merves urbis Governatore responderunt, quod inconsulto Verio, ac Electore incio nil decernere possent, civitatem vero sibi commissam usque ad extremum vitæ halitum tueri statuissent, si ergo Tilio virtutis suæ experimentum facere libuerit, non obstarent, quo minus urbis obsidionem tentare, & experiri posset,

set, an ipsis minus, quam Francken-
 thalensibus animi sit: insuper cives in
 Cæsaris despectum cantilenam in om-
 nibus ferme plateis decantabant, quam
 tamen petulantiam æque ac arrogans
 eorum responsum anno sequenti ama-
 ris lacrimis deflere compulsi sunt.

Sæc. XVII.
 A. C. 1621.

§. LX.

*Jacobi I. Angliæ Regis deprecatio
 apud Cæsarem pro Friderico
 Palatino.*

Quantumvis Fridericus Palatinus
 suam in Cæsarem rebellionem per
 suos fautores totis viribus prosequi
 tageret, non deerant tamen ex Princi-
 pibus non pauci, qui pro eo apud Cæ-
 sarem impense deprecarentur, & qui-
 dem præter Daniæ Regem, Jacobus
 quoque Angliæ Rex Friderici Socer
 Londini comitiis die vigesima Januarii
 habitis, ut a suo Senatu pecuniarum
 suppetias obtineret, Palatinatus tuendi
 obtentu utebatur: ne vero sinceri sui
 propositi dubium relinqueret, Digbium
 cum aliis Nobilibus Legatum Viennam
 decrevit, qui Palatinum in Cæsaris gra-
 tiam recipi, ac in eundem statum, quo
 ante sui electionem in Bohemiæ Regem
 erat, restitui, & proscriptionis execu-
 tionem aut revocari, aut saltem suspen-
 di

*Thoiras hist.
 d' Angl.
 tom. 8. l. 18.
 Lotich. l. 9.
 cap. 6.
 Barre Hist.
 d' Allemagn.
 tum. 9.*